

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

7 September 2011

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. A pungent *exemplum* from the *Sermones vulgares* of James of Vitry

Audivi quod quidam prelatus in Francia optimum equum habebat. Frater autem ejus miles valde desiderabat ipsum, ut uteretur illo in torneamentis, et nullo modo potuit optinere. Tandem cum multis precibus optinuit quod frater ejus tribus diebus equum sibi commodaret. Et accedens ad quemdam capellanum dicti prelati cepit diligenter inquirere cujusmodi verba frater ejus, dum equitaret, diceret frequencius. At ille cepit cogitare et respondit: "Dominus meus equitando dicit horas suas, nec video aliquod verbum quod frequencius dicat quam illud dicit in principio cujuslibet hore, id est: *Deus in adjutorium meum intende.*" Tunc miles ille cepit equum sibi accommodatum equitare et frequenter dicens verba predicta, quociens dicebat, fortiter eum calcaribus equum pungebat; et ita in triduo illo equum instruxit, ut quocienscumque dicebat: "*Deus in adjutorium meum intende*", equus timens calcaria, licet non pungeretur, magnos saltus dabat et impetuose currens vix poterat retineri. Postmodum, cum prelatus ille equum equitaret, frater ejus comitabatur eum, ut videret finem.

2. Saint Jerome commenting on the Book of Ecclesiastes and the futility of many things

Vanitas uanitatum, dixit Ecclesiastes, *uanitas uanitatum, omnia uanitas*. Si cuncta quae fecit Deus ualde bona, quomodo omnia uanitas, et non solum uanitas, uerum etiam uanitas uanitatum? Vt sicut in Canticis canticorum, inter omnia carmina excellens carmen ostenditur, ita in uanitate uanitatum, uanitatis magnitudo monstretur. Tale quid et in psalmo scriptum est: *Verumtamen uniuersa uanitas omnis homo uiuens*. Si uiuens homo uanitas est, ergo mortuus uanitas uanitatum. Legimus in Exodo glorificatum uultum Moysi intantum, ut filii Israel eum aspicere non possent. Quam gloriam Paulus apostolus ad comparationem euangelicae gloriae dicit esse non gloriam: *Nam nec glorificatum est*, inquit, *quod glorificatum fuit in hac parte, propter excellentem gloriam*. Possumus igitur et nos in hunc modum, caelum, terram, maria et omnia quae hoc circulo continentur, bona quidem per se dicere, sed ad Deum comparata, esse pro nihilo.

3. Charlemagne's dealings in Pavia, Ingelheim, Saxony and Quierzy, according to the *Annales regni Francorum*

DCCLXXIII. Et revertente domno Carolo rege a Roma, et iterum ad Papiam peruenit, ipsam civitatem coepit et Desiderium regem cum uxore et filia vel cum omni thesauro eius palatii. Ibique venientes omnes Langobardi de cunctis civitatibus Italiae, subdiderunt se in dominio domni gloriosi Caroli regis et Francorum. Adalgisus filius Desiderii regis fuga lapsus mare introiit et Constantinopolim perrexit. Tunc gloriosus domnus Carolus rex, ipsa Italia subiugata et ordinata, custodia Francorum in Papia civitate dimittens cum uxore et reliquis Francis Deo adiuvante cum magno triumpho Franciam reversus est. Et dum pervenisset in loco, qui dicitur Ingilinhaim, mittens quatuor scaras in Saxoniam: tres pugnam cum Saxonibus inierunt et auxiliante Domino victores extiterunt; quarta vero scara non habuit pugnam, sed cum praeda magna inlesi iterum reversi sunt ad propria. Et celebravit praefatus gloriosus rex natalem Domini in villa, quae dicitur Carisiacum, similiter et pascha.

4. Dante visits Giotto in Padua

Accedit autem semel, quod dum Giotto pingeret Paduae, adhuc satis iuvenis, unam capellam in loco ubi fuit olim theatrum sive arena, Dantes pervenit ad locum. Quem Giottus honorifice receptum duxit ad domum suam, ubi Dantes videns plures infantulos eius summe deformes et— ut cito dicam—patri simillimos, petivit: “Egregie magister, nimis miror, quod cum in arte pictoria dicamini non habere parem, unde est, quod alias figuras facitis tam formosas, vestras vero tam turpes?” Cui Giottus subridens praesto respondit: “Quia pingo de die, sed fingo de nocte.” Haec responsio summe placuit Danti, non quia sibi esset nova, cum inveniatur in Macrobio, Libro Saturnalium, sed quia nata videbatur ab ingenio hominis. Iste Giottus vixit postea diu. Nam mortus est in MCCCXXXVI et sic nota quod Giottus adhuc tenet campum, quia nondum venit alius eo subtilior, cum tamen fecerit aliquando magnos errores in picturis suis, ut audivi a magnis ingeniis. Ista ars pingendi et sculpandi habuit olim mirabiliores artifices apud Graecos et Latinos, ut paret per Plinium in Naturali historia.